

**Exhortatio pia abbatis Panhausen,
abbatis Steinfeldensis
1572**

De persona abbatis Steinfeldensis Panhausen egimus in his *Analectis Praemonstratensibus*. Exposuimus contentum libri manuscripti eiusdem Abbatis asservati in Archivo abbatae Averbodiensis (1573): *Commentarii breves atque perutiles in Regulam B. Aurelii Augustini, etc.* Cfr. *supra*, 1978, LIV, pp. 99-104; 144-165.

Cum abbas iste praeclarus saeculi decimi sexti hisce commentariis sese manifestaverit auctorem repletum cognitione librorum S. Scripturae, cumque praeterea probet sese apprime edoctum esse de statu ideali et reali-practico vitae religiosae suae aetatis, saeculo decimo sexto, placet hic edere unum ex hisce manuscriptis commentariis. Quod commentarium omnino redolet aspectum et naturam sermonis capitularis pronuntiati coram religiosis canoniae Steinfeldensis, seu abbatae florentis aetatis illius.

Fragmentum ex codice illo manuscripto (arch. Av., IV, 330) desumimus pp. 212b-225b.

Inscriptio in ipso manuscripto haec praebetur :

[212b] *Ad praelatos et subditos pia exhortatio, desumpto argumento ex verbis : Quis ascendet in montem Domini, etc. : ps. 23 : In qua abusus et vitia nonnulla, tum praelatorum, tum subditorum notantur.*

Ad lectorem pium.

Haec quae dicturus sum de Praelatorum et Subditorum statu, non de omnibus dicta intelligi volo, amice lector, sed de quibusdam dumtaxat, nec ea de causa quemquam insector, licet cupiam illos qui delinquant admonitos emendari. Cur enim insector? Stultum est enim ob quorundam delicta, omnes summa ratione institutos exterminari velle. Non etiam de me quispiam conqueri potest, si generaliter vitia carpo, nam generalis sermo neminem tangit, nisi eum qui de se prius fateatur, et talem se esse agnoscat; quod cum fecerit convenit ipsi meliora sectari, non aliena accusare.

Hortor igitur in visceribus Christi, quisque suam dignitatem agnoscat, vitia et scandala devitet, emulet vero charismata meliora. Nihil est in rebus humanis quod ad pietatis studium Deique cultum mentem hominum magis excitet, quam eorum qui in sublimitate positi sunt, spectabiles, sincera vita moresque sine sorde. Huc imprimis spectare debent, qui saeculo huic nequam cum omnibus pompis suis iam valedixisse, et Dei ministerio sese totos addixisse visi sunt. E quorum numero non postremi sunt Religiosi, Praelati, clerus devotus, monachorum genus electum, quorum vita praelucere caeteris debet, ut ii vitam nativitatis suae tamquam in speculo contemplantes, quas deprehenderint maculas mox eluant, rugas detrahant; quae autem recta, formosa et visu delectabilia enutrient confirmantque. Quapropter omnino decet clerum in Domini sortem vocatum, ab omni vitiorum genere esse alienissimum, vitam moresque suos huc dirigere, ne cuipiam offendiculo sint, sed omnis sermo, ex illorum ore egrediens, sale conditus sit. In ingressu, statu, motibusque corporis, nihil sit quod cuiusquam offendant aspectum, sed quod illorum deceat sanctitatem. Morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possit.

Sed his iam omissis ad reliqua spectemus. Vale Charissime lector et hunc qualemcumque laborem, eque bonique consule. Noster enim sermo huc tendit potissimum ut parcat personis, dictet vero de vitiis. Qui potest capiat; et in Domino exultet.

Hunc servare modum nostri novere libelli.

Parcere personis, dicere de vitiis.

Ad praelatos et subditos...

[213a] Regula B. Augustini Episcopi post Dei et proximi amorem circa duo potissimum versatur. Praelati scilicet regimen, et subditorum obedientiam atque reverentiam. Item utriusque tam Praelati quam subditi exercitium. Sed quia in utroque grande solet esse abusum discrimen, et pauci reperiuntur qui sui officii munus sedulo exequantur, nimirum abstracti a bono et electi ad malum. Ideoque de his pauca nobis dicenda sunt. Sed quia in multis offendimus omnes, tam Praelati quam subditi, senes et iuvenes, simul in unum dives et pauper, et nemo est qui corde percipit, ad hoc potissimum nostra decurret oratio, ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus. Haec enim facientes non peccabimus ali-

quando; et abundanter administrabitur nobis introitus in aeternum regnum Domni et Salvatoris nostri Iesu Christi.

Quales esse debent qui in montem Domini conscendere velint.

Quibus autem potissimum rationibus ad hanc aeternae beatitudinis vitam pervenire possimus, imprimis scitu necessarium. Regius ille Psalter, et vir quem invenit Dominus secundum cor suum, pulcherriam atque suavissimam super hac re quaestionem movet inquires : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Omnes ascendere nitimur, omnes tendimus in sublime, sursum aspiramus omnes. Sic enim quidam ait :

Conspiciant animantia caetera terram,
Os homini sublime dedit, coelumque videre
iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Illuc igitur summo opere studeamus conscendere, ubi bonum sit nos esse, ubi securum sit, unde in praeceps ruere non possumus. Sic enim nos hortatur propheta inquires : «Ascende in montem excelsum qui evangelizas Syon. Non vestigiis corporalibus, sed factis sublimioribus in hunc montem si ascenderimus sequemur Christum, ut ipsi montes esse possimus. Montes enim in circuitu [213b] eius, et Dominus in circuitu populi (Psalm. 124). Quaere in Evangelio et invenies solos cum Domino discipulos montes ascendisse. Foelix ille, qui montis huius ascensiones in corde suo disposuit, concupiscens et deficiens in atrio Domini : cuius itidem cor et caro exultat in Deum vivum. Certe mons iste, mons pinguis, mons uberrimus, bonorum omnium cumulus, et aeternae foelicitatis domus Dei est. Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt Te (Psalm 38). In quodam loco scriptum est quod ibi aufugiet dolor, tristitia et gemitus (Sap. 3), ubi sancti fulgebunt sicut stellae in perpetuas aeternitates, et sicut splendor firmamenti qui erudiunt multos (Is. 64). Ibi enim, gaudium, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi eorum qui eo digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitae. O utinam contrahamus vela nequitiae, et impietatis, ut aliquando ibi sistere detur. Neque vero desiderium montis huius ascensorem solum provocat propheta, verum etiam ascendere cupientibus, modum ascendendi docet. Igitur motae quaestionis statum subdit, inquires : *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo*

proximo suo. Hoc est : Qui innocentes habet manus et operando aliis minime nocuit, mundum etiam habens cor a sorde peccatorum purgatum, et animam suam ad vanitatem non extulit, aut vanis rebus et transitoriis non inhiavit, multo minus proximum periurio fefellit. Is proculdubio, quisquis ille est montem ipsum subibit. Verumtamen quis gloriabitur mundas manus, vel potius cor rectum castumque se habere? Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato? (Prov. 20). Quis palam idipsum audebit profiteri, cum nemo munus sit corde, nec infans cuius sit unius diei vita super terram. Est generatio, inquit Sapiens quidam, quae sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Hinc est quod alibi dicitur : Beatus vir ille, non in quo peccatum non invenitur, sed cui non imputavit Dominus peccatum. Si quis tamen ille est, magnus est. Nam si tamen ille est, magnus est. Nam si penitius rimari scrutarique liceat, quod hodie praelatos, [214a] quodve religiosos, qui in oculis hominum vivunt, et lumen Ecclesiae esse debebant, mundatos corde et manibus innocentes reperiatis? Proh dolor! horum perquam rarus est numerus et cum Sapiente audebo dicere : Procul et de ultimis finibus pretium eorum (Prov. 31). Taceo de me meique similibus qui rectius villici procuratoribus integrum munus noscent, quam primam syllabam docti piique Abbatis. De his prima nostra habebitur oratio, quorum opera sic praelucere debent, ut ad eorum instar suam religiosi vitam moresque componant.

De Praelatorum statu.

Nonnulli tamen a suo longe aberrarunt munere et officio, ubi primum in eam sunt promoti praelaturae dignitatem, tum demum insolescere occipiunt, quorum numero alii in tam eximium se honoris gradum elatos putant, ut neminem prae se ferant hominem, et eo se sanctiores esse, quo superiores existimant : dignitatis dumtaxat facta mutatione, non mentis. Hi sunt qui sub sentibus esse delitias computant, dissimulantes peccata quae indies committunt, tenebras quibus caligant, lubricum in quo titubant, grave iugum peccatorum quod tolerant, graviolem conscientiam quam occultant, gravissimum denique sententiam : *Ite in ignem aeternum* (Matth. 25), quam exspectant. Hinc vas electionis Paulus queritur : « Venerunt super nos, inquit, tempora periculosa, in quibus sunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, sine affectione, immites, sine benignitate, proditores, protervi, volup-

tatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem quidem abnegantes. Flens cum Apostolo dico : inimicos crucis Christi (Phil. 3) quorum finis interitus; quorum Deus venter est, et gloria in confusione sapiunt. Nolunt enim imitari vitam ac mortem Christi, ut cum illo vivant in aeternum, sed ad quaestum et gloriam suam alios docent orare, ieiunare ut his aliis oneratis, ipsi interim regnent ac suaviter vivant, perinde quasi post hanc vitam non exspectent aliam. Nam quemadmodum per temperarias afflictiones tendimus ad immortalem foelicitatem; ita illi per momentarias voluptates asciscunt sibi sempiternum exitium, ventrem habentes loco Dei, et per fucatam apud homines [214b] gloriam, quam collocant in rebus pudendis festinant ad aeternam ignominiam. Nam temporarium et fucatum est quicquid terrenum; verum atque aeternum quicquid coeleste. At isti nihil aliud curant quam terrestria, in his gloriam, in his voluptatem, in his spes suas collocant, multum aberrantes a vero scopo evangelico, terrena enim sapiunt, magistratus contemnunt et in his quae dicere nefas est, laetantur, et exultant in rebus pessimis. Sed de his dicemus, qui ieiunia, orationes, et reliqua pietatis et religiosorum munia, nec digito quidem movent; in quorum manibus iniquitates sunt, et muneribus dextra eorum oneratur, et quod pessimum dici debet, neque Deum placere student, quem multipharie, multisque modis graviter offerenderunt. Regnum eorum nutritur vitiis, ambitur flagitiis, tures eorum sunt crimina, arma quarumcumque turpitudinum molimina; et sic dignitatem suam non sine naturae iniuria dehonestant. Malum hoc certe plus aequo evagatur, et pestilentiae genus innumerabiles occupat, ut pro gloria huius mundi, chirographum subiectionis conscribant diabolo. Per omne nefas emuntur voluptates, et per omne scelus copiosae libidines exquiruntur, amor lucri se ingerit, nec vitae proximi, quaestus desiderium parcit; in sinu eorum ambitio dormit, ibi sub umbra recubat in secreto calami in locis humentibus, protegunt umbram eius. Nonne illae quotidianae commensationes, nonne illae mensae, nonne scorta illa, nonne divitiae illae id testantur inexplebilem malitiae concupiscentiam. Cogita et in animum reducito, quod quoties scortatus es, toties condemnasti teipsum; peccatum enim ibi se habet, ut mox atque patratum fuerit, sententiam ferat iudex. Inebriatus es, ventri indulsisti, rapuisti? Siste iam gradum, vertere in diversum, age gratias Deo, quod non in mediis peccatis te abstulit, nec aliud privilegium ut male opereris. Multi cum iam aliis damnum fecerant, subito perierunt, et ad manifestum iudicium abie-

runt. Time ne et tu hoc patiare inexcusabilis. Sunt et non pauci Praelati, humilitatis speciem foris exhibentes, in aliorum delicta vehementer zelantes, ut videri possint esurire et sitire iustitiam, si apud eos esset, de suis quoque peccatis [215a] et delictis idem iudicium. Contra alios tam impudenter quam inaniter aestuant, seipsos tam insipienter palpant, neque ab aliis admoneri patiuntur, tantum abest ut corrigi velint. Qui si vere mundari desiderarentur, admoniti minime irritarentur, sed gratiam illis qui ipsis suas maculas ob oculos ponerent, referrent maximam.

De oeconomia quorundam praelatorum.

Sunt praeterea nonnulli quibus unica haec cura est (voluptatem tamen et luxum excipio in plerisque) proventus monasteriorum studiosissime conquirere. Estque haec prima cura et salus monasticae vitae, ut loculi referti sint et rubris tumeat crumena nummis. Attamen his minime contenti, summam navant operam ut piscinae quaestiosae sint, partim novo seminario fecundae, partim adultae pisce uberes. Hinc exitur in sylvas, ut hae sint ceduae ad annum lucrum, ut hae alendis porcis glandiferae habeantur, et feras contineant, ne in vicinias excurrant, neve aliis nisi domesticis sit facultas venandi, et hunc in usum detestabilem, ut dentur canes quamplurimi, frequensque sit ociosa turba famulorum, atque si famuli desint, ut rustici neglectis domi necessariis hoc faciant. Item ut apum examina atque alvearia minime negligantur. Sed magis ut foveantur et nutriantur, unde quaestui multum accedat, et culinae prospiciatur. Hinc proxima sollicitudo de administrandis praediis, ut vaccae foecundae sint, abundantque lacte, caseo et butyro, ut vituli succrescant, boves grandescant, quorum alii quotidianis epulis suppetant, alii venum propositi abbatialem crumenam infarciant. De equis, de capris, de porcis, de ovibus, de anseribus, de gallinis caeterisque pecoribus campi, eadem procuratio et sollicitudo est. Nec in hoc loco cessat agriculturae exercitatio; hoc nimirum studiosi abbatis est ut agri stercorentur, arentur, occentur, serantur ut horum fossae pastinentur, rivuli ducantur, ut plerique uberrimum fundant fructum tam agri quam prata, atque pomaria, omnisque res rustica quaestuosa ut sit; vinea cura abbatialis studii. Et illa quidem omittere minime oportuit, modo opus Dei, hanc ob sollicitudinem nimiam non intermittatur, atque moderata sic sollicitudine acquisita in usum fratrum et pauperum fideliter distribuantur; haec suprema cura esse debebat. Sed de his

sermo nobis non est, sed de illis qui post multam sollicitudinem et rerum acquisitionem, [215b] copiis opibusque collectis, in his luxuriantur contemptas his quibus maxime prodesse debuissent, et mox suiippsius immemores facti, extollunt se super omne quod dicitur Deus, fastidiunt continuo patres venerabiles appellari, sed salutare ab hominibus Rabbi gaudent, gratiosique domini nominari. Vide quid aliud de illis statui potest, quam quod invito Christo Salvatore (qui, ne benefici vocemur, vetuit) ipsi interdictos et vetitos titulos usurpant. Alii usque adeo propriis affectibus atque rebus terrenis affecti sunt, ut ab his avelli, separarique posse minime videantur. Qui dum suis commodis atque utilitatibus (uti supra meminimus) plus equo indulgent, patiuntur subditi, fratres inedia, fame, siti, ac frigore enecantur; illi interim suaviter et in deliciis vitam transigunt, lasciviunt et omni voluptatum genere pascunt animos suos, agitantes quodidiana convivia, non minus splendida, quam alii solent festo die mactata victima. Siccine non Praelati sua bona optimi ecclesiarum fundatores erogarunt, ut in vestram solius utilitatem convertatis, plus dicam in vestris concupiscentiis insumatis? Minime gentium. Sed sic nos existimet homo (inquit gratiae divinae praeco Paulus Apostolus) aut ministros Christi (1 Cor. 4) (non dominos) et dispensatores mysteriorum Dei, quique rem ab alio creditam dispensant, non profusores aut iniustos asservatores bonorum eius. Cum igitur in confesso sit, quod rem administrent, summam quidem, thesaurum Ecclesiae et pauperum scilicet, ideoque alienam, quod ad horum aestimationem attinet, nihil interim spectetur in his nisi quod a Deo creditum est, bona fide dispensent, non alio spectantes quam ad Christi gloriam et honorem. Non inficias ibo Praelatos omnibus si bene altario inserviunt, de altario quoque vivere licitum esse; superbire vero, intumescere, crapula aut luxui vacare, minime agentium. Nam quicquid praeter necessarium victum ac vestitum de bonis Ecclesiarum, aliis interim egentibus, sibi retinent Praelati, aut intempestive deglutiunt, rapina est, omnique sacrilegio maius. Orabat Sapiens quidam victu suo tantum tribui necessaria; non superflua (Prov. 30,6). Habentes enim alimenta et quibus tegamur (1 Tim. 6), si pietate, si veris animi bonis ditescamus, his contenti [216a] quae ad praesentis vitae necessitatem sufficiunt, cum properemus ad immortalitatem. Magnum opus est accummulare, quae non numquam relicturae sunt. Quorsum autem attinet de congerendis divitiis esse sollicitum, quae neque nostrae sunt, et mox aliis relinquere cogimur. Sicut enim nihil horum nobiscum attulimus in

hunc mundum nascentes, ita nihil efferemus nobiscum morientes. Divitias in voluptates prodigere pestis est, conditas servare dementia est. Ingens quaestus est, pecuniae iactura augere thesaurum pietatis. Ingens dispendium est, ob vitae lucellum, amittere divitias immortales. Non competunt in eundem, studium divitiarum et studium pietatis. Sanctus quidam necessaria a Domino mendicans, dicebat : Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum; et vestimentum quo operior, erit mihi Dominus in Deum (Gen. 28); non inquit, quibus superbiam aut lasciviam. Quid plura? Me mentemque meam ab his non queo abducere; ita enim a natura comparatum est, ut si quid dolet plurium ante oculos oberret semper. Honorati incedimus de bonis Domini, cum Domino honorem non deferamus. Ministri Christi sumus et Antichristo atque mammonae servimus, aliquando plus ocreae atque calcaria, quam Ecclesiarum altaria fulgent et nitent. Quamobrem hoc tempore non excoluntur, sed bonis exuuntur Abbatiae atque Monasteria, non custoditur grex commissus, sed misere perditum est, non pascitur grex, sed devoratur; non denique instituitur, sed prostituitur, dicente Domino per prophetam : Qui devorant plebem meam ut cibum panis (Psalm. 13). Est generatio quae pro dentibus gladios habet, dicente Salomone, et commendavit molaribus suis ut comedat inopes de terra et pauperes ex hominibus (Prov. 30). Hinc est quod monasteria multa, rebus exuta atque nuda relinquantur facie miseranda et inculta. Et pro huiusmodi volumus esse et sumus Ecclesiarum praelati; porro ministerii locum sortiti non zelum, successores bonorum modis omnibus esse desideramus, boni imitatores pauci. Gaudemus in cibis, pompis, iocis, ludis, tessuris; ridetur, commessatur, et caetera quis nescit? Sed verendum ne extrema gaudiorum luctus occupet (Prov. 14) Dum [216b] vero his unguentis nos inungimus, patres delicati, quod facient filii? Nonne quod viderint parentes facientes? Certo certius : ex quacumque enim re similis foetus, et similia sibi ipsa concurrunt. Praelatus splendide commessatur, largiterque bibit; interim petulans iuvenis sua procua siccatur. Hic aleam torquet, ille tesseras ponit. Sedit inquit populus manducare et surrexit ludere. Nulla sacrarum litterarum ratio habetur, neque aliter a libris quam praesentissimo veneno quidam qui capita esse debebant gregis, abhorrent. Mox ut similes habeant labra lactucas, subditi omnem litterariam suppellectilem abiurant, et dum male edocti, libertate immatura, cum coequeris, quibus luxus et desidia cordi est, potiuntur, amare vitia et corrupte vivere occipiunt. Sed unde haec ceres? Ab

illo nimirum qui sementem dedit. O dignum ollae operculum. Numquid auribus vestris insonuit, o patres spectatissimi, haec vox terribilis et amara valde: Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit ut mola asinaria suspendatur in collum eius et demergatur in profundum maris (Matth. 18). Supremus et pientissimus ille omnium parens per filium suum unigenitum nobis locutus est in haec verba: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut contemplantes vitam vestram undequaque puram et inculpatam planeque coelestem, glorificent Patrem vestrum qui in coelis est (Matt. 5), cui debetur omnis honor et gloria vestrum erit interim nihil aliud habere curae, quam ut delegato munere graviter, bonaque fide fungemini, praemium ille suo tempore persolvat abunde magnum, cuius gloriae militatis. Non hic audis: Inebriamini et bibite charissimi, suaviter vivite et sub omni cubito manus pulvillos consuete (Ezech. 13). Neque id quoque Bona Domini (quae suis militibus peregre proficiscens abunde subministravit) in vestris concupiscentiis insumite; sed potius clamat: Quod superest date eleemosynam et omnia munda erunt vobis (Luc. 11). Dum vero egregias vos statuas magis quam homines exhibetis, fistulas et ambucas inflatis, numquid filii quoque vestri choreas ducent? Hi ipsi cum ordine nec ordo cum ipsis aliquid praeter nomen commune habere videtur, cum sint corruptissimis [217a] moribus, omnem pietatem, cultumque divinum, omnem regularem observantiam, omnem denique monasticam disciplinam, vitae ac morum integritati ac vitae religiosae locus esse poterit, ubi licet quodcumque lubet? Ubi iam ad omne genus vitiorum per se propensae, habenae laxissime effunduntur? Quid autem tristius, quid calamitosius excogitari potest? In eo ipso loco ubi tot sanctissimi viri per multos annos pietatem et omnem monasticam disciplinam, summa cum laude et proximi aedificatione coluerunt eam per paucas mastigas omnia turbari. O misera miserabilis aeternis ignibus excremenda. Nunc loquimur graviora, gravius tamen manet iudicium. Redite igitur ad cor et nolite somnum dare oculis vestris charissimi. Nam extremum nunc urget periculum, in acie novaculae res omnis sita est. Aut sinceris animis adeundum est regnum coelorum, aut suscipiendum aeternum supplicium. Adest praesens salus amplectentibus; adest poena praesens et exitium immedicabile respuentibus. Iam enim securis admota est arbori, non ramis aut trunco, sed radicibus funditus et irreparabili vulnere succidenda, nisi foetus Deo dignos produxerit; discrimen imminens et urgens nullam admittit cessationem. Adhuc nobis in manu est, utrum

velimus amplecti. Non feriet securis, si nos subito mentem mutaverimus. Sed ut accelerantibus communis est salus, ita cessantibus commune est periculum. Iustificationis nostrae aliquod signum mihi videor intueri, si in conversatione nostra semper humilitatem sectemur. Haec est enim via qua in sublime conscenditur ad montem, de quo nobis sermo, dicente Domino: *Qui se humiliat exaltabitur* (Luc. 11). Magnus iustitiae splendor quae aliis potius nata quam sibi communitatem et societatem adiuvat, excelsitatem, tenet, ut suo iudicio omnia subiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiant aliena. Quis non cuperet hanc virtutis vicem tenere, nisi avaritia infirmaret atque inflecteret tantae virtutis vigorem. Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare divitiis, iustitiae formam exuimus, beneficentiam communem amittimus. Sed quid inquit Sapiens ille? Ne moreris converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subdit o enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te (Eccli. 5). Certe [217b] nescimus quid superventura pariet dies, periculum et metus est in differendo, salus vero certa ac segura si nulla sit dilatio. Virtutem igitur colamus, sic licet moriamur, secure discedimus. Sed iam tempus ut his sermonibus finem, custodiamque ori meo imponam, ne plura in praeceptis loquendo, delinquam in lingua.

De religiosorum quorundam statu.

Deinceps videndum erit de religiosorum et monachorum vita, anne et in vano aliquando acceperint animas suas, aut in vivendo perperam iuraverint praelatis suis, promissam fidem irritam facientes, ut sic a consensu montis illius aliquid eos et retardare et remorari queat.

De castitate.

Quantum ad castitatis votum attinet, nihil minus (flens dico) nonnulli praestant, membra Christi adiicientes meretrici, quamquam non nescii sint quod is qui fornicatur in corpus suum peccat et quod omnis fornicarius et immundus non habet haereditatem in regno Christi (Eph. 5). Quoties putamus, charissimi, quosdam salutis immemores, alienatos ab his quae distinxerunt labia eorum, cogitantes cogitationes pessimasque illis ut sus in volutabro luti inhaerentes. Hi sunt qui carnem maculant et polluant, dominationem spernunt. Non so-

lum corpora sua, inquit, conspurcant, verum etiam praefectos quos et auctoritate praeditos aspernantur, et in eos quibus ob potestatem qua praeeminent, debebant reverentiam, non verentur maledicta congerere. At istorum tanta est perversitas, ut cum nullam habeant causam, tamen ea maledictis insectentur, quae non intelligunt. Contra adeo luxu, libidineque corrupti, ut in his rebus, in quibus animantia ratione expertia, prope moderateque degunt, veluti cibo, potu, coituque in his perditissime se gerant. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria carnis ambulantes, et os eorum loquitur superbiam, qui semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis (Iudas). Vos autem fratres non ita didicistis Christum, si tamen audistis, et in ipso expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Aliorum autem miseremini in timore, odientes non homines ipsos, sed corpus hoc terrenis affectibus inquinatum, quia ceu tunica polluta gravatur et inquinatur humanus animus. Et hoc clementius decet, alienis errat is mederi, quod nemo versans in hoc [218a] corpusculo non possit inquinari.

De paupertate.

De paupertatis autem voto tremens sermonem iam profero, cum proprietatis vitium in nonnullis monasteriis usque adeo serpat, pullulet et dilatetur, ut ne vestigia quidem verae paupertatis reperias, sed quisque sibi vivit et non proximo. Hinc vitiorum genus omne profluit, rerum communio tollitur, confunditur, unus esurit, alter autem ebrius est. Hinc contentiones, aemulationes et murmura oriuntur, dum divites autem abundant, pauperes etiam panem quo esuriem pellant, indigent. Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Attendant qui se tamquam animales segregant et communionem deferentes quod multorum est, sibi proprium efficiunt. Attendant inquam et ob oculos ponant Ananiae et Saphirae praevaricationem, ne dum illis fuerint similes in culpa, in poena quoque fiant aequales. Legant quibus placet Augustini sermonem ad presbyteros Hipponenses de Ianuario monacho, qui in pariete cellae suae cyclos centum et decem absconsos habuit et in mortem usque reservavit, non sine gravi animae suae periculo quod ex sequentibus Augustini verbis facile colligitur, inquit: Ligantes manus cadaveris eius ponentes in panno pecuniam et super eum flentes, dicatis: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non enim licet nobis servis Dei, hanc ponere in opere

monasterii, quia pactum damnationis est. Qui habet aures audiendi audiat quam gravis poena proprietariis immineat, et discat pie vivere iuxta verba laborum suorum, quibus se Altissimo devinxit.

Christus Salvator noster, in cuius manu omnia quae coeli et terrae ambitu continentur posita sunt, attamen confitetur se non habere ubi caput suum reclinet. Et discipulos legimus fame compulsos, spicas manibus confricasse, dum per sata transissent. Nimirum exemplum nobis relinquentes, ut sequamur vestigia eorum et sanctum paupertatem colamus pariter et veneremur, persistentes in communem rerum, habentes victum et vestitum contenti simus. Beati enim pauperes quoniam est regnum coelorum (Matt. 5).

Sed paupertas, inquis, difficile negotium est; interdum etiam hominem nimia penuria pressum, ad blasphemias perducit. Non paupertas sed pusillanimitas in causa est; nam Lazarus pauper extitit, et pauper valde, cuius paupertati [218b] etiam aegritudo maxime coniuncta fuit, quae ipsam paupertatem ditiores redderet, cum et vis morbi solatia multa deposceret et paupertas nihil horum praestare potuit. Horum etenim alterum; etiamsi solum extaret, pergrave esset et doloribus plenum; simul vero coniuncta, ubi non adest quod sublevet, intollerabile efficitur malum. Etiam tormenta cumulantur, quod ad ianuam iacebat divitis quotidie splendide epulantis; nimirum quod epulae ac commensationes in oculis Lazari positae, ipsius animum gravius ob rei carentiam affligebant, quam si in casu domi latuisset, neque splendorum convivii praesentem intuitus esset; praesentia enim magis dum detrahuntur movent quam absentia, Philosopho teste qui inquit: Obiecta movent potentiam. Neque his quidem flectitur dives ille crudelis, sed luxu et omni voluptatis genere animum demulcet, sed ne micae quidem de mensa epulantis ad Lazarum perveniunt. Attamen patienter tulit omnia, ut neque amarum sermonem, neque blasphemiae verbum coram aliis affunderet, ita etiam ille fame et cruciatibus examinatus clarior et splendidior per patientiam reddebatur. Haec nobis in figura contigerunt, ut paupertatis virtutem cum patientia obviis ulnis suscipiamus, maledictum vero proprietatis vitium procul fugiamus, in communi cum humilitate degentes, uno cellario, uno vestiario contenti. Qui vero diversum fecisse repertus fuerit, non effugiet iudicem Deum, etiamsi in praesentia non punit illum, sed servat aeternae tartari caligini. Argutiis rerum pauper magis solidatus et tamquam aurum in fornace probatus est. Hinc illi coronae et gloriae accreverunt. Fames illa abundantiam praebebat

futurorum bonorum; aegritudo illa vitam conciliavit aeternam, ulcera illa quae canes lingeant, splendorem gloriae per angelos ministerium ferebant. Vides quod non paupertas, sed vitium pusillanimitatis in causa sit, quod pauperiem inviti et cum murmure portamus, declinantes ad maledictum proprietatis vitium; quod in religione monastica seminarium omnis mali est.

De obedientia.

Sed iam de obedientiae virtute hoc summatim dictum velim, duo nobis in monasteriis constitutis observanda traduntur: subiectio abbati, et stabilitas in loco; et haec servanda ut sic stabiles in loco nos exhibeamus; ut abbati subici minime contemnamus. Ab [219a] illo autem quam longe aberrant plurimi, qui nec suis superioribus obsequuntur, neque in suis monasteriis pedibus conquiescunt, sed vel intus vel foris constituti, suos Praelatos mordaci insectantur lingua, et sermonibus odii circumdant, nunc in faciem contumelias ingerentes, nunc supra dorsum fabricantes mendacium et in occulto sedentes loquuntur falsa et adversus proximum suum ponunt scandalum, non attendentes scriptum esse: Principi populi tui non maledices (Exodi 22; Act. 23). Et illud: Sedens adversus fratrem tuum loquebaris; et adversus filium matris tuae ponebas scandalum; existimasti inique quod ero tui similis, arguam te et statuam contra faciem tuam. intelligite haec qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat et non est qui eripiat (Psalm.). Audiant legislatorem Moysen dicentem: Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum (Exod. 16). Audiant et illud Pauli: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi a Deo et qui potestati resistit, Deo ordinationi resistit. Qui autem resistunt, maledictionem sibi acquirunt. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ministri enim Dei sunt (Rom. 13).

Reipublicae ordo in tria genera dividitur.

Ordine constat Respublica. Totam igitur rerum summam in tria genera dividamus: In ea quae vere coelestia, quam tamquam Christo pecularia sunt, ubique rebus omnibus anteponenda; in ea quae prorsus sunt huius mundi, veluti cupiditates ac vitia, haec nobis omnibus fugienda. In medium quoddam genus, quod per se neque bonum neque malum, quod Christus ut non sanxit, ita nec reprobavit, sed

necessarium tamen pro totius reipublicae statu concordiaque tuenda; idque nullo modo perturbandum. Quisquis igitur est hominum pareat publicis legibus, obtemperet magistratibus, qui in malis puniendis et bonis sublimandis utcumque Dei negotium agunt; proinde qui magistratui resistit, non resistit homini sed Deo, a quo proficiscitur omnis auctoritas; et qui Deo repugnat, merito poenas luet. Quod si noluerimus legibus aut magistratibus obnoxii esse, ne putemus hoc contumacia assequi, sed innocentia potius. Recte vivamus et lex nihil ad nos. Sed quia magistratus et praelati administrant iustitiam, et Deus iustitia est, Dei ministri sunt et illius quodammodo vices gerunt [219b] dum in hoc incumbunt quod illis publica auctoritate mandatum. Audi et eundem gratiae praeconem Paulum his verbis Titum hortantem : Admone, inquit, illos principibus et potestatibus subditos esse; dicto oboedire et ad omne opus bonum paratos esse ut non coacti metu poenae, sed sponte quod honestum est exequi videantur (Tit. 3). De inobedientiae poena vide de Saule (I Reg. 15). de Ionatha (I Reg. 14), item de Dathan et Abyron (Num. 16). Quod si plures etiam regia dignitate praecllentes, qui ob inobedientiae peccatum puniti ac sedibus suis, depulsi, enarrare velim, potius dies quem exempla deficerent. Quod si illis non pepercit Deus, non tibi parccet. Melior est enim obedientia quam victimae (I Reg. 15).

De silencio monastico.

His omissis, iam de silentii virtute quae pacis custos est religionisque fundamentum ac thesaurus inaestimabilis) aliqua nobis dicenda restant.

Linguae religiosa continentia et verborum parsimonia, virtute pietateque facienda, insigne religiosorum firmamentum ac supremum decus est, gratissimamque naturae humanae societatem adducit. Silentio enim pax nutritur et conservatur. Eo siquidem neglecto, facile in scelus omne religionum decus praeceps ruere necessum est. Declinant enim quidam in verba malitiae, dum lingua laxatur, atque ab otioso verbo ad innoxia quaeque rapiuntur ad murmura, ad devotiones et mendacia quae sacris litteris refragantur. Abominatio est enim Domino labia mendacia et detractores Deo odibiles sunt (Prov. 12). Ex his ad convicia et maledicta pronus est animus. Hinc ad lites contentionesque evagatur. Habet hoc vitii lingua petulans quod suis terminis minime contenta, verum etiam exitiale venenum

quum in alios plurimos transfundit, rasisque loquacibus (ut ille inquit) implet omnia.

Da convivarum numero.

Varro in Satyris Mempiis aitconvivium numerus a graciaryum numero incipiendum, ut ad Musarum progredi, id est proficisci a tribus et in novum consistere possit, ne qua iniuria symposio fiat, cum periculum sit, ne pauciores silentium, plures etiam turbas pariant. Sunt enim quidam qui dicere semper gestiunt, audire nihil. Ideoque edocemur divinis scripturis, ut omnis homo sit velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Qui enim praeceps est ad loquendum, non procul abest a periculo lapsus; est autem tacendi munus [220a] extra periculum. Vidisti enim, ait Sapiens, hominem pronom ad loquendum (Prov. 29) Stulistica magis asperanda, quam illius correctio.

Hinc pii religiosorum ordinum fundatores considerantes in linguae vitio amimarum pendere periculum, sanxerunt, institueruntque silentium, ac sobrium parcumque linguae usum statutis temporibus atque locis, a religioso omnibus sumtm studio observandum. Certas quoque in robur sanxionum suarum contra transgressores, ut ministri in bonum adiciendo poenas. Nam cum hominum natura semper prona ad vitia fertur, optime maiores nostri, eiusmodi legum poenis atque minis depravatam hominum naturam, coercendam putarunt. Ut intra metas consisterent et si suapte vitio, garrulitate et loquendi libidine nimium indulgeat, paulatim iam ad maiora prolaberetur. Est enim fere ita natura comparatum ut cum omnes licentia detereriores fimus, legum atque poenarum repagulis constringamur, ne in alios quam nos decent mores degeneremus. In quo praecavendo si ulla alia res optime a patribus nostris excogitata atque constituta, tum certe silentii religio erit quae nos suo metu in officio monasticae pietatis contenebit. Caetera enim quibus ad pietatem exercemur officio, ut sunt pertinax castitatis et continentiae studium, obedientiae atque inopiae cultus, hymnorum, precum, vigiliarum, caeterarumque coeremoniarum quibus Deus excolitur, continens observatio quid quaeso proderit? Quid pietatis in se habent? Quid devotae mentis, si omnia haec incontinens lingua dissipet ac penitus obscuret atque contamine? Quae nec hominem in pietatis officiis sua incontinenti volubilitate consistere, nec eundem pensum absolvere sinunt. Attes-

tatur idipsum D. Iacobus in sua canonica (Iacobi 1): Quod si inter vos inquam quispiam abunde sibi religiosus videtur, si manus contineat a furto, homicidio, caeterisque vitiis, interim non refranans linguam suam ab otiosis verbis, obtrectionibus, a conviciis, turpilquoio, in contentione, neque cor suum a turpibus cogitationibus, huius penitus inutilio infrugistrata religio est. Meminit vero hic Apostolus speciatim linguae frenandae, quod illo membro licet modico, innumera perpetrantur mala. O malum omnium malorum pessimum, atque nocivum. Accipite ergo animis haec et in intimo usque cordis recessu, admittite charissimi, et [220b] incontinenti linguae nolite facile laxare habenas. Ponite manum super os vestrum et digito compescite labellum, alioquin vix sancitam poenam evadetis poenam, humiliantes animas vestras super terram. Iugum et lorum, inquit Salomon, curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduae (Eccli 33). Idemque: Initium vitae hominis panis et aqua et vestimentum et domus protegens turpitudinem (Ibid. 29). Haec ille, consolans pauperiem contritorum et afflictionem cordis. Intelligite quaeso et sapite. Magna est humana linguae utilitas, si quis ea ad pietatis officium, veramque Dei voluntatem utatur. Periculosa vero est lingua infraenata et putulans, et imprimis dum animus est corruptus pravis cupiditatibus, odio, ira, invidia, vindicta, ambitione. Nam ut ex succo fructus trahit saporem, ita ex eo quod reconditum est in corde nascitur oratio. Ut bonus homo de bono thesauro cordis sui depromit bona, ita malus homo de malo thesauro cordis profert mala. Quorum cor opplevit pietas, opplevit charitas, verba loquuntur charitatem pietatemque redolentia, quae in cordis recessu latuerunt. Quorum vero cor et mentem opplevit invidia, superbia, avaritia, ira, odium, talem nimirum edunt orationem sermonemque qui reddat ore cordis affectum. Summa igitur nobis cura sit ut ne serpentem hunc et basyliscum nutriamus in sinu cordis nostri, et vulneremur ab eo. Sit mundum cor nostrum et mundus piusque erit sermo. Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit (Matth. 12). Contrahamus linguae vela, ne spumantibus undis, qua cursum ventusque gubernatorque tendunt, volitet per altum navis, incerti quo fata ferant, ubi sistere detur. Ingenti profecto obnoxii periculo sumus, si latius linguam sylvescere et venenum suum evomere permittimus. Veniet namque dies quando in omnes cogitationes nostras, verba et opera Deus et Dominus noster severissimus inquireret et quidquid a sua lege discrepare viderit, supra quam credi possit, puniet acerrime.

Interim nos miselli homunciones, tot vitiis cooperti, in utramque aurem dormitantes, vivere nos existimamur. Sinite usque modo, a somno vos excitabit vox illa. Redde rationem villicationis tuae, Iam amplius non poteris villicare. Et illud : Ite maledicti in ignem aeternum. Dormis adhuc, [221a] nec expergisceris umquam? Cohibe linguam tuam a malo et labia aut ne loquantur dolum et invenies requiem temporibus tuis. Iudicemus in animum illud quaeso evangelicum : Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii (Math. 12). Quod est verbum otiosum? Omnes fabulae, omnes ioci dicteriaque quae sine proferentis vel audientis fructu effunduntur, nihilque ad aeternam salutem faciunt. Si de verbo otioso examinandi sumus, quid de verbo aspero, nimium amaro et fratri quam maxime noxio expectandum nobis est? Credisne post hanc vitam iis qui bene egerunt praemia esse pietatis? Existimasne iis quoque qui male egerint superesse impietatis poenam? Nemo qui dubitat. Speramus omnes, nonnulli quorum conscientia saucia est timent. Quid dicturi sunt isti in die illa tremenda, iudicii inquam, qui totos dies pestilentissimos sua garrulitate effundunt sermones et suum et aliorum otium pariter et negotium perdunt? Quid de his qui linguis suas libidine quadam loquacitatis omnibus venales exhibent auditoribus? Hi certe aliquando descensuri sunt ad inferiores partes inferni ubi erit fletus et stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Piscator tandem ictus sapiat. Ex verbis tuis (Salvator noster inquit) iustificaberis et condemnaberis. Iustus pronuntiaberis si bona prodierint et utilia verba ex corde distillaverint? Mala cogitatio soli cogitanti pestifera est; et sermo malus cordis hominum transfundit in multos. Coercenda est itaque lingua, malum illud et inquietum membrum plenum veneno mortifero, in quo benedicimus Deum et maledicimus homines, non solum a blasphemia, a convitio, a iurgiis, obtrectionibusque et turpiloquio, sed omnibus prorsus qui nullam adferunt utilitatem honestam, quoniam de his omnibus iudicabit Dominus. Ponamus igitur ori nostro custodiam ne delinquamus in lingua.

De discipulorum Putagori quinquennio silencio.

Pythagoras philosophus ethnicus suos discipulos ad quinquennium silentium obligat, ut interim discerent prudenter loqui. Si haec ethnicus, quanto magis nos qui religiosi dicimur et esse debemus ad leges

has salutes et silencio deputatas iure obligatos [221b] noverimus. Illi philosophi quinquennium integrum ut sapientiam saeculi huius assequi possint, tacitos se exhibuerunt. Nos ut aeternam et veram sapientiam, quae in coelestem perducit patriam comprehendamus ad exigui temporis momentum linguam a garrulitate non temporabimus? Scio quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vago stabilem permanere, sed durius et gravius erit comminationes Domini et verba nimium aspera audire, dicente psalmographo homini cuidam ad loquendum veloci. Tota die iniustitiam locuta est lingua tua et more acuto novaculae sermonem profers dolosum, mortem machinam audientibus (Psalm. 51). Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam aequitatem; peiora melioribus protulisti, falsaque verba veris, magisque iniustitiam quam aequitatem amplexus est. Allexisti omnia verba praecipitationis quae homines praecipitare, perimere ac dolore solent et in nihilum redigere. Audisti nunc linguae petulantiam pariter et veneficium audi et poenam huic malo coniunctam. Non effugies inquit cum prave egeris Dei omnium Conditoris sententiam, nam destruet te in finem, evertet te veluti male cohaerentem domum, evellet te, tamquam faciet animam tuam de tabernaculo corporis tui deque viventium numero delebit, teque ac tuam progeniem radicitus evulsam morte mulctabit. Hic ne securim ob garrulitatis vitium et linguae petulantiam ad arbores radicem positam cernis? Ni ori tuo posueris custodiam, ut non delinquas in lingua evellet te et penitus subvertet Dominus et radicem atque progeniem tuam tollet de terra viventium. Intelligite haec qui obliviscimini Deum, nequando rapiat et non sit qui eripiant. Quid, ait divinus ille succentor David? Vir linguosus, inquit non dirigetur in terra, virum iniustum mala capient in interitu. Incontinens, garrulus, nugax, immodestus aut etiam contentiosus vir non prosperabitur, quinimo revertetur et in praeceps ruet, quia exasperavit linguam suam sicut serpentis, incitavit illam ut venenum exitiale in alios evomeret, sermonem namque nimis noxium ac pestilentem. Venenum aspidum sub labiis eius, perniciosus sermo [222a] aspidis veneno comparatur sub labiis eius, perniciosus sermo aspidis veneno comparatur, veluti nocivus atque ad perdendum efficacissimus. Salomon ille amabilis Deo, linguae vitium his verbis notavit: Sicut urbs patens, inquit, et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere linguam suam (Prov. 29). Studeamus igitur linguas nostras prohibere a malo et labia nostra ne loquantur dolum. Tacitus enim et

sensatus honorabitur et qui loquacitatem odit extinguit malitiam (Eccli. 19). Divus Paulus modum loquendi, quam necessitas exigit, graphice nobis depingit, inquit : Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem fidei ut det gratiam audientibus (Ephes. 4). Variis modis solet esse pestilens mala lingua : turpiloquio inficit, obtreptione infamat, delatione iugulat, mendacio periurioque fallit. Nullus itaque sermo malus profisciscatur ex ore vestro. Mentis imago est oratio sive sermo. Si mente puro sumus, non convenit exire sermonem impurum. Neque satis est ut innoxius sit hominis christiani sermo, imo talis esse debet ut in tempore et ad usum depromptus fructum adferat audientibus. Quod si secus fecerimus, non solum offendemus homines, inutiles et intempestivos aut noxios sermones, verum etiam Spiritum Sanctum Dei, qui inhabitator est mentium nostrarum. Monachi nomine indignus censetur qui tacere nescit; perpauca arbitror esse mortales, qui non possint vere dicere : Saepe locutum fuisse poenituit, siluisse numquam. Nam quod silendo peccatum est, sarciri potest oratione. Ast semel emissum volat irrevocabile verbum. Minus peccat qui immodice taciturnus est, quam qui intemperanter loquax. Illud enim vitium non modo tutius est, verum etiam honestius. Cordata beniloquentia nihil potest esse divinius eaque graviter dictum est a quodam saeculi huius sapiente : Loquendi magistros habere nos homines, tacendi deos. At petulans linguae morbus ingens secum malum, adducit et insatiabile. De rebus frivolis garriendi libidinem; de negotiis alienis quae nihil attinent, nec ad illud qui refert, et ad eos qui audiunt periculosos linguae lapsus quos vitare difficilimum semper garrienti, futilitatem in effeendis arcanis, plerumque cum periculo dicentes : nonnumquam etiam illorum apud eos efferuntur.

De iocis sobriis et tempestivis.

Festivitas orationis ac ioci sobrii [222b] tempestivique plurimum habent momenti ad humanas consuetudinis iocunditatem ac moderata dicendi libertas inter amicos plurimam habet gratiam. Verum haec non suo loco adhibita frequenter in grave discrimen protrahunt. At in medio nostrum dicit fortassis quispiam, quo lingua opus, si illa uti minime liceat. Sed patientes adhibe aures, mi Pamphile et illius usum intelliges. Ad quod igitur? Lingua ad hoc hominibus data est ut haec quasi internuncia, homo hominis mentem et animum cog-

noscat. Loquatur veritatem cum proximo suo, laudet Dominum in hymnis et suave sonantis Ecclesiae vocibus, oret spiritu et mente, iubilet Deo et psalmum dicat nomini eius. Audistis linguae usum? Hoc fac et vives.

De mendacio.

Sed hodie inter christianos, ne dicam religiosos, Deum immortalem quam rara fides? Aliter enim dicunt homines plurimi, aliter faciunt; tacitus quosdam pertranseo qui sic assuevere mentiri nesciant, et quod in comaediis servile existimatur, in nostris, qui religioso nomine intitulati, vix indecorum habetur, in primoribus etiam prudentia vocatur. Nec enim mentiuntur, solum oratione semper habentes in ore religionem et vota, verum etiam vultu ficto mentiuntur, non sine gravi perniciem religionis quam insincere profitentur. Non decet filios lucis ullus fucus. Si semel recipitur mendacium, tolli fidem necesse est; qua sublata, tollitur et omnis humanae vitae societas. Quis enim velit pacisci cum eo quem non pudeat mendatium? Aut quis hunc amare possit, qui nihil dicat ex animo? Lenius esset hoc malum, nisi mentiencium vanitas faceret, ut nec vera dicentibus fides habeatur. Et recte quidem peroptimeque cum crebro mentiundo sibi merito fidem abrogarunt. Nec venit incommutata pestis haec, sed virtutum omnium scelrumque congluviem atque sentinam secum trahit. Declarat hoc Dominus ipse per os Oseae prophetae, loquens pariter et populo Israelitis comminationem inferens: Non est, inquit, veritas, et non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium et furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit; propter hoc [223a] lugebit terra et infirmabuntur omnes qui habitant in ea (Os. 4). Ostendit propheta non frustra iratum Deum tam gravia comminari et inferre supplicia, causasque indignationis apponit. Non est veritas inquit et non est misericordia et non est scientia Dei in terra. Sed e contrario pro veritate mendacium, et pro misericordia maledictum, dum iurgiis et convitiis incessimus errata proximorum quae misericorditer et secreta fraternaue monitione sanare debueramus; pro scientia Dei quae nescia est contentionis et amarulentiae, sed pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia et fructibus bonis, subintrant homicidium, furtum, adulterium, et sanguis sanguinem tetigit ut auferent peccata peccatis et novis vetera cumularent delictorum vero abundantiam demonstrat, cum inquit furtum, adulterium inundave-

runt. Certum maximum peccatum esse quis nescit, dum falsis criminibus fratrem vocamus in periculum.

De alienae famae constupratione et calumnia.

Verum his omnibus videtur sceleratius alienae famae constupratio et calumnia obtrectatioque. Calumnia proprie est alicuius in litibus per fraudem et frustrationem sive dolum vexatio. Tamen per metaphoram accipitur pro eo quod est falsa criminatio. Hinc per legem duodecim tabularum declaratur. Calumniator idem patiatur quod reus, si convictus esset (Prov. 25). Iaculum et gladius (inquit Salomon) et sagitta occulta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Iaculo et sagitta eminus pugnamus, gladio vero in vicino, lingua quorundam gladius acutus. Longum est enim omnia persequi. Circumferat quisque oculos et compendio discet quantum pestem ingerat lingua calumniatrix. Iam in obtrectatione quam impudenter nobis ignoscimus, imo quam nobis blandimur et festivi urbanique nobis videmur, dum arrodimus famam fratris. Deus qui prohibuit eodem in loco prohibuit calumniam et obtrectationem: Non mentiemini, inquit, nec decipiat unusquisque proximum suum, non eris criminator et susurro in populis, non stabis contra sanguinem proximi (Levit. 19). Quam enim destestabile est malum detractio docet vir amabilis Deo dum inquit: Cogitatio stulti peccatum est et abominatio hominum detractio (Prov. 24). Qui male cogitat de proximo linguam [223b] interim cohibens, non est quidem immunis a peccato, sed apud Deum dumtaxat nocens est. Verum qui passim vibrat virulentam linguam in proximum absentem, non solum apud Deum, sed etiam apud homines probos abominabilis et execrabilis est. Hoc vitium maxime familiare est foeminis, nunc etiam clam ad viros demigravit irrepsitque in religiosorum collegio, potentissime, cum quo omne naturae sordidum et insanabile malum confluit. Obsecro vos dilectissimi, expurgate vos a fermento hoc et ministerium linguae vestrae subducite leviter nundinis loquacitatis. Memineritis vos habere aures duas et os unicum, ut multa audiat et pauca loquamini. Qui custodit os suum, inquit expertissimus quidam divinae scientiae doctor, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala (Prov. 13, 21). Idemque alio in loco: Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustissimis animam suam. Mors enim

et vita in manibus linguae, qui diligunt eam comedent fructus eius (Prov. 18). Cum haec praeter omnem controversiam sic habere se noscuntur, et garrulitate linguae tantum inesse periculi constat, ne dicam mala simul omnia, in virulenta lingua congesta esse. Quae nos igitur dementia torquet, quo minus cum propheta ponamus ori nostro custodiam ne delinquamus in lingua, sed magis cum patientia et silentio audiamus quid loquatur in nos Dominus Deus noster. Ne itidem silentii leges transgrediamur, simus veloces ad audiendum; et tardi ad loquendum et tardi ad iram (Iac. 1). Oportet pios homines procul abesse non solum ab omni vindicta, verum etiam ab omni maledicentia Christus qui est via, veritas et vita, nos docuit bene loqui de his qua nobis obtreant, bene velle his qui nobis male volunt. Haec non facit qui linguae laxat habenas, membro volubili et lubrico, quod iram et odium habet in consilio. Sit in spe et silentio fortitudo nostra, ne prevaricemus in lingua. In multiloquio enim non deerit peccatum et qui moderatur labia sua prudentissimus est (Prov. 10). Non solum qui in loquendo habenas adhibet linguae suae prudens est, sed etiam Salomone teste, [224a] stultus qui natura insipiens est, si tacuerit sapiens reputabilur et si compresserit labia sua intelligens (Prov. 17). Ex praedictis loquendo patet maiores nostros non levibus de causis ad sanctum illud silentii institutum adductos et allectos, nempe quod innumeris malis si refrenetur lingua facile obviam iri possit. In libro Iob loquitur Heliae manifestans plenis ut aiunt buccis suae garrulitatis libidinem. Plenus, inquit cum sermonibus et coarctat me spiritus uteri mei et venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit, loquar et respirabo paululum (Iob 32). Audis hominem loquacem et silentii impatientem? Sed quid praemisit? Respondebo et ego partem meam inquit et ostendam scientiam meam. Vides hic virulentae loquacitati etiam adiunctam elationis et inanis gloriae spiritum, dum inquit: ostendam scientiam meam. Vae homini illi qui linguam suam omnibus animi affectibus venalem exhibet. Sed quid Salvator noster in Evangelio? Ego inquit, claritatem ab hominibus non accipio (Ioh. 5), neque humanam gloriam venor quae adfert ea quae protrahunt in mortem aeternam. In ore folia verborum ventiantur, in corde vero regnat ambitio laudis humanae quae sacris eloquiis adversatur. Vera pietas est omnium gloriam Deo transscribere. Increpat Dominus quosdam dicens: Quomodo potestis credere cum vos contempta vera gloria quae a solo Deo proficiscitur, invenimini falsum apud homines,

invicem vobis adulantes et sordidam huius mundi laudem amplectantes. Christus suam gloriam non quaesivit, erat autem Pater coelestis qui eam quaereret. Ut quid igitur diligitis vanitatem et quaeritis mendacium, perdentes vitam aeternam? Deus, ut idem ait, semel loquitur et secundo ipsum non repetit (Prov. 17). Certe qui moderatur sermones suos doctus et prudens est et preciosi spiritus vir eruditus. Quam eleganter coniunxit sermonis parcimoniam cum prudentia animum gnarum silendi cum eruditione. Novit Ecclesiastes tempus loquendi et tacendi (Eccli. 3). Et dum totum spiritum suum profert stultus, sapiens novit differre et reservare in posterum. Est tacens, inquit quidam, non habens sensum loquelaе et est tacens articulum apti temporis et homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabit tempus (Eccli. 20). Ex ore fatui [224b] reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore (Eccli. 20). Maximi momenti res quo tempore depromamus sermonem, coram quibus, et quibus de rebusve locis; qui enim libidinosus et procax est ad loquendum odibilis est (Prov. 25). Sed ut mala aurea in lectis argenteis, ita qui loquitur verbum in tempore suo. Ecce quam firmissimis praesidiis patrum nostrum traditio atque institutio de silentii observatione statis temporibus atque locis fulciatur.

De Lacedemoniorum verborum paucitate.

Non solum apud christianos haec linguae parcimonia et orationis breviloquentia, verum etiam apud ethnicos summam laudem promeruit semper. Peculiaris erit Lacedemoniis verborum paucitas. Sunt vero non pauci qui loquendi nullum finem faciunt, sed garruli, inquieti, deos atque homines turbant. Corinthiorum orator in Lacedaemoniam missus, cum apud Aegidem dixisset admodum prolixè, ubi perorasset rogavit num quid esset Corinthiis renunciandum. Quid aliud inquit nisi quod tu vix dicendi interrogatus qua ratione potissimum quis assequi possit, ut apud homines honestam haberet famam si loquatur, inquit, quae sunt optima et faciat quae sunt honestissima. Quis dici poterat brevius ac rursus quid absolutius? Alius praeterea interrogatus, quo pacto quis maxime posset placere hominibus, si quis, inquit, loquatur illis iucundissima praestet autem utilissima. Quidam tonsori garullo subinde roganti quomodo te rado? Silendo, inquit. Timebat enim ne si linguae nimium indulgeret garrulus, non sine corporis sui laesione novacula in diversum raperetur. Haec de

loquacitatis vitio paucis perstrinximus. Neque animus fit penitus colloquium interdicere, modo suis terminis honestatis includatur et sermo sale conditus sit et pro inhonestis facetiis, contentionibus, murmure et detractionibus audiatur sermo bonus qui dat gratiam audientibus, aut vere cum propheta dicere possimus. Quod progressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit (Ierem. 17). Revertimini igitur ad cor praevaricatores legis et legem attendite, apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus et pereatis de via iusta, cum exarserit in brevi ira eius. Stetis [225a] igitur super custodia vestra, senes et iuvenes, maiores, infimi atque medioximi, emundantes vos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes in timore Dei sanctificationem. Purgetis vos, inquam ab omni spurcitia corporis non solum, verum etiam animi, quo simul et apud homines innocenter vivatis et Deo bonam mentem approbetis, plenam ac perfectam sanctimoniam parantes in adventu Christi, continentes vos interim in officio et timore Christi, qui pro suis cuique factis praemium reponit (2 Cor. 6), ut sic castigatis collectationibus quae sunt inter utramque substantiam, carnem et spiritum, animus quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis decete esse rectorem, dominationis suae dignitatem atque nemini dantes ullam offensionem, sic vituperationibus obloquentium non eritis obnoxii. Magis autem studete iisdem rebus quibus se commendavit Christus vos ipsos commendare, nimirum in multa patientia, quotidianis afflictionibus, ieiuniis, puritate vitae, mansuetudine, charitate sincera minimeque fucata, sermone veraci, hinc atque hinc septi armis iustitiae a dextris et recta conscientia fultos, non efferant res secundae, a sinistris ne consternant adversae. Sed quo me rapit sermonis calor? Non mihi tempero quin effundam quidquid est in anima. Os enim meum apertum erga vos fratres et cor meum dilatatum est. Superbiam numquam in sensu vestro et in verbo vestro dominari permittite; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Emendate quaeso fratres, emendate in melius quod negligenter, imo scienter peccastis, ne subito praeoccupati die mortis, quaeratis spacium poenitentiae, et invenire non possitis. Audiatur charitas vestra Domini vocem per prophetam loquentem: Derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur eius, quia benignus est et misericors est et praestabilis super malitia. Non enim vult Dominus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat (Is. 55). Actiones omnes non solum sed et cogitationes malas avertite, ut et manuum innocentiam

et cordis munditiem habere possitis atque etiam ne de caetero in vanum acceperis animas vestras, aut in dolo praelatis vestris novisse aut iurasse videamini, sed exerceatis vos in omni opere Domini semper, scientes quòd labor [225b] vester non est inanis coram Deo. Haec sit gloria vestra, testimonium conscientiae nostrae quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei conversati sitis in hoc mundo (2 Cor. 1). Et quando de conscientia vestra praesumitis quod pura sit ab omni simulatione, tum de Dei auxiliis non diffidatis. Studeatis obedientiam praestare magistratui et superioribus vestris, habere castimoniam et animae puritatem, amplecti paupertatem et sobrietatem. Ponite ori vestro custodiam et modum, linguam vestram refrenantes, parcius dormite, orate frequentius, lectiones sacrae sint vobis a dextris et a sinistris; in his versamini die noctuque. Et quoniam res humanae viles et vanitati obnoxii sunt, necesse est ad maiorem vitam et excellentius fastigium ascendamus et maioribus exerceamur palaestris? Per haec etenim ad mentem illud Domini unicus patet vobis accessus. Quod si vobis videtur via ardua, exonerate vos; si arcte etiam exinanire vos non pigeat; si longe tanto magis festinetur; si laboriose, clamate. Traho nos post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Felix qui sic currit ut comprehendat, immo ut comprehendatur et ducatur usque ad montem et conspectum magni Dei qui est supra omnia benedictus in saecula. Amen.

Sed iam auditorium dimittamus.

(Sequitur in ms. : Carmen lugubre ad Deum Patrem Optimum Maximum pro negligentis admissis culpa deprecatio supplex. Cum carnem iam in alio contextu in hisce foliis periodicis publicatum sit, supra, p. 151 s. non iterum illud hic subiungimus).